

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
PENTECOSTALIA SACRA
SOLEMNI ORATIONE
IN TEMPLO ACADEMICO

H. L. Q. C.
CELEBRANDA
INDICIT

N. J.
in Johannem
217.

Summa religionis Christi ab ipso tradita

Ioh. VI,

Exeg.

C.

271, 26

R E C T O R

A C A D E M I A E M I N I S T R I

P E N T A G O N A L I S S A C R A

S O L U T I O N I S

I N T E M P L O A C A D E M I C O

M. L. C.

C E L L E R M A N N A

I N D I C I T

S M A R T I N I A E C O E L I I

M. D. C. C. C. C.



Est sine dubio diuinæ religionis a Christo institutæ signaculum evidentissimum pariter atque illustrissimum, solemnitas illa atque prorsus admirabilis donorum Spiritus S. largitio, qua Apostoli ad recte intelligendam docendamque tam ore, quam scriptis, doctrinam a Christo traditam, instructi fuerunt. Cuius rei memorie pie recolendæ, et indicandæ eius solemnitati festiuæ, cum hæc sit destinata prolusio, haud alienum existimari, ab huius descriptionis siue causæ, siue consilio, si, qua ratione suos Christus ipse Apostolos recte euangelii scientia instituerit, eosque ad recte illud nuntiandum successiue præparauerit, ex insigniori aliquo loco explicarem, quo potissima doctrinæ eius capita quaedam, ab ipso exposita, contineantur. Atque talem ego quidem deprehendisse mihi visus sum Ioh. VI., ubi notabile illud Christi colloquium cum iis extat, quos mirabili quinque panum cœna satiauerat, quo tamen, ut in ipso hoc epulo v. 1 - 15, et consequente illud miraculo v. 16 - 21. discipulorum maxime rationem eum habuisse, ex orationis euentu constat et fine. Comitantur enim eum multi ex his, quos cibauerat v. 22 - 25., quos, cum animum norit eorum, victus corporis magis quam mentis cupidum, non reprehendit tantum v. 26., sed etiam grauitè admonet v. 27., ut cibum sibi comparare studeant: *εργαζεσθε βρωσιν*, non adeo subito euanescentem, *μη την απολυμενην*, ut solent ad vsum vitæ præsentis necessaria, sed talem potius, qui faciat ad perpetuos sempiternæ felicitatis vsus: *μενσσαν εις ζωην αιωνιον*, eundemque, ait, offert vobis Messias, diuina patris ad hoc ipsum auctoritate constitutus: *ον α πατηρ εσφραγησε*, quod de tali rei vel personæ confirmatione adhiberi solet, qua veluti signo impresso, rata efficitur ei que fides publica conciliatur.

Bene hoc intelligere videntur Iudæi, quod cibi nomine suam Christus doctrinam iis commendare, seque missum a Deo doctorem gerere velit, qui eius nomine, quæ credenda et agenda sint consequendæ salutis causa, præcipiat. Ideoque v. 28. ex eo quaerunt, quæ peragenda iis sint, quo faciant a Deo imperata, quæ ad eius cultum requirantur: *τι ποιωμεν, ινα εργαζομεθα τα εργα τα θεα*; Sic enim *εργαζεσθαι το εργον τινος*, stilo hebr. significat mandata ab aliis exequi, aliorum,

IV

rum, vel sua ipsius negotia curare, ut Syr. LI. 38. *εργαζεσθαι το εργον σου*, quod suum est, agere, et in rebus ad religionem pertinentibus, sacra facere Num III. 7. c. VIII. 15. *εργαζεσθαι τα εργα της σκηνης* ministeria cultus Leviti peragere, quod idem est ac v. 11. *εργαζεσθαι το εργον τα κυρια* יהוה עבד עבד Luth. am Ante des Herrn dienen, mandato a Deo ministerio fungi, quod cum Levitae uniuersae gentis Israeliticae nomine et primogenitorum loco facere iussi essent v. 19. dicuntur *εργαζεσθαι τα εργα των υιων Ισραηλ*. Atque sic etiam in N. T. *εργον Θεου* et *κυρια* de ministerio sacro cultuque Dei et exercitio religionis dicitur 1 Cor. XV. 58. c. XVI. 10. Phil. II. 30. *εργον τα Χριστου*. Scire ergo hic cupiunt Iudaei et a Christo sciscitantur, quae sit eius religionis Deumque colendi ratio praecipua, cuius docendae causa se dicat esse veluti signaculis diuinis confirmatum? Eius igitur summam breuiter sic Christus complectitur v. 29. hic est verus Dei cultus, haec summa imperatae ab eo religionis: *ταυτο εστι το εργον τα Θεου*, *) ut eius, quem misit ille, fidei vos committatis et institutioni: *να πισευσητε εις τον απεστειλεν εκεινος*. Haec enim vis est dictionis hebr. *יְמוּנָה*, sequi *א* aut *ל* Dativi, quam Alexandr. vertunt *πισευειν τινι*, *εις τινος*, *επι τινος* et *τινα*, *εν τινι*, quae formulae saepius, etiam in N. T. libris, secum permutantur eodem plerumque sensu. Recte ex his Iudaei, pro Messia se Christum venditare, intelligunt, novaeque religionis condendae ius sibi vindicare sentiunt diuinitus acceptum, eamque ob causam, quo velit miraculo probare contendunt, quod tanta sibi data sit a Deo, antiquam mutandi religionem, potestas. Quo igitur, aiunt v. 30, prodigio, velut diuinae legationis sigillo, hoc probabis, quod vere sis ille, quem *ο πατηρ εσφραγησε ο Θεος* v. 27.? quale tu efficis eius rei signum? *τι ου ποιεις συ σημειον; τι εργαζη;* quale exhibes documentum et veritatis signaculum, quod visibile sit et sufficiens ad fidem tibi habendam? *να ιδωμεν και πισευσωμεν σοι*. Ita enim *σημειον* idem est interdum ac *σφραγισ* Rom, IV. 11. atque tale neutiquam habendum esse existimant miraculosam illam, quam breui ante quidem, at semel tantum, effecerat, populi

*) Heb. hoc dicitur ex locis supra all. *יהוה עבד עבד* opera cultus diuini, non quae ipse Deus operatur, quo sensu alias *εργα Θεου* dicuntur. Quare perperam ex hoc loco et inique cogitur, fidem esse donum Dei, quod non naturae viribus, sed eius gratiae beneficio in nobis efficiatur, cuius probandae veritatis causa in Compendiis plerumque et Systematibus excitari solet. Quae quidem in se vera est sententia, in hoc autem loco non continetur.

populi cibationem. Longe enim certius multoque illustrius se habere dicunt v. 31. Mosaicae, quam profiterentur, religionis signaculum, Mann nimirum, quo coelitus delapso cibo, non vna tantum vice, sed per longam annorum seriem in deserto Deus vniuersam maiorum gentem sustentauerit. Tale igitur, vel simile tamen a Christo miraculum postulant Iudaei, si hoc velit ab iis impetrare, vt a patria discedant, eiusque nouam amplectantur religionem. Atque hoc ipsum, Christus ait v. 32. 33, iam vobis a patre meo offertur, immo longe praestantius, cibo illo, a Mose vobis dato. Is enim, qui diu iam desit, non est genuinus ille, et vere de coelo missus animarum cibus, ο αρετος εκ τῶν ορατων ο αληθινος, ad hoc ipsum a Deo constitutus, αρετος τῶν θεων, vt eius virtute omnes in vniuersum homines vitam consequantur sempiternam, ζων διδως τω κοσμου.

Hoc igitur contenti miraculo, cum talem sibi a Christo expetant viduum v. 34, quo perpetuo se frui velle fatentur: παντοτε δεος ημιν τον αρετον τῶτον, en! ait Saluator optimus v. 35, talem in me ipso videtis cibum, quo vniuersi generis humani sustentari vita debet, εγω ειμι ο αρετος της ζωης, in me est vis illa panis, ad seruandam omnibus vitam parati. Quo si quis frui desiderauerit, is meae se disciplinae tradat, ad eiusque leges et instituta animum componere discat, vitamque. Ita enim, qui me adierit, opis atque salutis quaerendae causa: quod dicitur: ερχεσθαι προς Χριστον, et per πιστευειν εις αυτον explicatur, is breui sitim animae famemque adeo sentiet expletam, vt votorum pars nulla superfit, quae possit merito desiderari: ο μη πεινασει, ο μη διψησει πωποτε. At vero, pergit Christus v. 36, talem in me animum vobis non inesse, ante iam monui v. 26, quoniam, talem me esse nutritorem, vidistis quidem oculis, neque tamen toto mihi animo fidem habetis. Interea vero, nunquam ait v. 37, mihi deerunt disciplinae sectatores, quos suae pater doctrinae efficacia commotos, meae fidei committit: παν, ο διδωσι μοι ο πατηρ προς εμε ηξει, et qui eo ad me animo accesserint, τον ερχομενον προς με, eorum neminem, quicumque demum illi fuerint, meo destitutum auxilio repellam, ο μη εκβαλω εξω. Non enim, v. 38, ad hoc de coelo me misit Deus, καταβεβηκα εκ τῶν ορανων, vt ex meo solum arbitrato agam, et consilio mere humano, quae mihi e re esse videantur, οχι να ποιω το θελημα το εμον sed vt ea, quae a Deo mihi sunt demandata exequar fideliter αλλα το θελημα τῶν πεμφαντων με. Eo autem spectat patris, qui me misit, consilium v. 39, vt nullum eorum, quorum curae meae felicitatem commisit, morte perire sinam

finam perpetua, *να παν, ο δεδωκε μοι, μη απολεσω εξ αυτη*, sed vt omnes potius futuro die ex mortuis a me resuscitentur, *αλλα αναστησω αυτο εν τη εσχατη ημερα*. Ex hac enim *ορροσitione τς απολεσαι et αναστηναι*, hoc ad *vitam corporis* pertinere suspicor, cuius restituendae hominibus potestatem sibi Christus pluribus in locis vindicat, eoque se a Deo missum esse consilio docet, vt vi mortis suae expiatoriae non peccati tantum vim atque poenas, sed ortam etiam ex eo communem humani generis mortalitatem, penitus tandem auferat, in vitam reuocatis omnibus. *) Atque sic hoc etiam nomine, talem se esse cibum *τον αληθινον v. 32. ζωνην δινδοντα τω κοσμω v. 33. αρτον της ζωης v. 35.* demonstrat, in quo fit vitae corporis etiam conseruandae omnibus et restituendae summa potestas. Nunc autem non *corporalis* tantum, sed maxime *spiritualis animarum vitae* se esse vindicem a Deo constitutum, declarat v. 40, atque eo inprimis spectare, ait, demandatam sibi a patre prouinciam, vt animarum habeat rationem salutis, quo qui norint filium, eumque fide colant et obsequio, *ο θεων τον υιον και πισευων εις αυτον*, aeternam consequantur vitam, ad eamque die resuscitentur extremo: pertinet enim *το αναστησω* ad proxime praecedens, *ζωνη αιωνιον*.

Haec breuis est *doctrinae christianae summa*, satis clara quidem illa atque perspicua, eaque sub imagine proposita, bene nota Iudaeis et cognita, re ipsa vero plurimis adhuc prorsus ignota, eorumque praecudicatis de Messia opinionibus fere penitus repugnans. Quare mirum non est, grauitur eos ferre atque indignari, qui nudum hominem esse Christum existimarent, quod se vitae humanae nutritorem diceret talem, qui esset immediate a Deo missus de coelis v. 41. *εγογγυζον, οτι ειπεν εγω ειμι ο αρτος ο καταβας εκ τς ζρανς*, cum humanam eius nosset de parentibus originem v. 42, quae cum diuina illa, quam sibi vindicaret, nullo conciliari modo posse videretur. Quam ob causam Christus etiam, cum facile ad haec multa respondere, suamque iis diuinitatem, et vtriusque naturae coniunctionem demonstrare posset, nullam tamen ea de re, ardua nimis et difficili his rerum ignaris, disputationem vult ingredi, sed breuiter tantum, non opus est, ait v. 43, ea de re litigare multa, et inutiliter rixari. His enim nemo commouebitur, nec alia re vlla hoc potest effici, vt meae se disciplinae homines committant, *εδεις δυναται ελθειν προς με v. 44.* nisi tradita mihi a patre doctrina, et operum eius virtute,

*) Diximus ea de re nuper prolusione, quam ad indicanda sacra Paschalia scripsimus.

tute, in meam sententiam trahi se patientur, atque hac ratione eorum mihi animi conciliari possint: *εαν μη ο πατηρ ελκυση αυτον*. Nam sic pater in societatem Christi trahit animos, non vi, sed ratione, doctrinae argumentis et miraculorum efficacia, atque his qui crediderit, ex iisque Christum esse suae salutis autorem cognouerit, is eius se filii tradet lubenter, eumque ad vitam resuscitabit beatam, de qua *το αναστησω* hic intelligere iubet subiecti, de quo sermo est, conditio. Sic autem trahere *) velle patrem docendo, et vi veritatis diuinae flectendo animos, clarius nunc explicat Christus v. 45, ex eiusque confirmat promissione, in Prophetarum volumine consignata litteris, de largissima, quae tempore N. T. offeretur omnibus, Deum cognoscendi copia. Qua de re cum illustrissima plurimum extent vaticinia, summam eorum Christus his Esaias verbis breuiter enuntiat: omnes a Deo docebuntur, Esa. XLIV. 13. In hebr. dicitur: erunt omnes discipuli Iehovae, *יְדֻבְּלֵי* quos instituet salutare doctrina, non *יְדֻבְּלֵי מַלְאָכָי* bene iam instructi, *δεδιδασκευμενοι υπο τῆς Θεου* quales erant liberi Heman 1 Paral. XXV. 7. nunquam vero sunt omnes, nec erunt, ne Christiani quidem, nedum terrarum gentes, etiamsi omnes velit Deus in suam admittere disciplinam. Idque dicitur *εσονται παντες διδακτοι Θεου*, erunt omnes institutionis diuinae alumni, siue tamen esse tales debent, quae vis saepe inest Futuris, erunt ad eam inuitati eiusque copia instructi, vt *διδακτοι λογοι* 1 Cor. II. 13. dicuntur sermones ad institutionem bene comparati. Ita enim Christus ipse *διδακτης Θεου* nominat eos omnes, qui oblatam sibi opportunitatem illam a Deo discendi, siue negligunt, siue admittunt lubenter, ita, vt auide non audiant tantum, sed discant etiam et prompto animo recipiant traditam a patre doctrinam *ο ακεσας παρα τῆς πατρος, και μαθων*. Atque illi demum, ait, qui sic a patre trahuntur, meae se disciplinae docili solertia facile submittent: *ερχεται προς με*. Quod quo tanto lubentius faciant illi, qui audire doctrinam patris ab eoque discere desiderarent, Christus se decretorum eius et praeceptorum esse interpretem profitetur v. 46, eosque admonet, ne forte sibi persuadeant, quod quisquam patrem coram

nosse,

*) Atque hoc sensu morali, vt latin. trahere, sic graecum etiam *ελκυσαι*, et hebr. *קָשָׁה* adhibetur Neh. IX. 30. vbi disciplina Dei in corrigendis Israelitarum moribus, patienterque ferendis hac voce laudatur: *ειλκυσας επ αυτης ετη πολλα*, quod admonitionibus ex prophetarum doctrina factum esse, sequentia explicant: *και επεμαρτυρω αυτοις εν πνευματι σε εν χειρι προφητων σε*, idque suae Deus gratiae vindicat et beneuolentiae, eorum salutis cupidae Ier. XXXI. 3. *δια τῆτο ειλκυσα σε εις οικτειρημ*

nosse, ab eoque ipso possit immediate doceri: *εχ οτι τον πατερα τις εωρακε*: quod nemini contingit praeter eum, qui semper Deo proximus est, *ο ων παρα τω Θεω*, quique solus intimam habet et penitissimam arcanorum patris consiliorum cognitionem; *ετος εωρακε τον πατερα*. Hoc enim ex usu hebr. significat *το οραν*, ut supra v. 30. quod idem est saepe ac *γικωσκεν* i Ioh. III. 6, familiariter aliquem nosse, eiusque animi secreta scire. Atque talem cum Christus habeat coniunctissimam cum patre consuetudinem, quis fido illi secretorum eius arbitro et interpreti non sponte credat, eiusque aequo se animo institutioni committat? cum tanta nobis ab eo data sit promissio v. 47, quicumque in me credit, certam iam habet spem vitae aeternae: *εχει ζωην αιωνιον*. Eamque ob causam Christus ait v. 48, ego sum panis vitae; siue talem ego vobis cibum trado, quo qui vescitur, aeternum vivet, quod idem est sensu tropico, quam quod ante verbis clarioribus enuntiauit: ego sum autor salutis, in quem, qui credit, saluabitur.

Sic igitur Christus, quod supra v. 30. postularunt Iudaei, signum, in se ipso exposuit, simile illi, quo Mosaicam maiorum suorum religionem a Deo fuisse nobilitatam iactarunt v. 31., immo longe praestantius cibo illo coelesti, quo adeo se ostentare solebant. Hoc enim victu nutriti in deserto, sempiternam tamen sibi vitam comparare nullam potuerunt, nedum beatam, cum morte iam sint omnes extincti v. 49, *οι πατερες υμων εφαγον το μαννα, και απεθανον*. In me vero, ait v. 50, eiusmodi habetis panem de coelo, i. e. talem ego vobis victum offero, quo, qui vescuntur, nunquam morte peribunt sempiterna: *να τις εξ αυτα φαγη, και μη αποθανη*, siue quod idem est, ex ipsa eius interpretatione v. 47. praemissa: quicumque in me credunt, meaque recte vtuntur institutione, vitam consequentur aeternam, ad quam extremo die eos resuscitabo. Atque hoc est utique proprium illud et peculiare religioni a Christo traditae signaculum vere diuinum, quo a Mosaica distinguitur, eamque longe praecellit, quod quorum in hac imagines fuerunt et vmbrae bonorum, in illa exhibetur ipsa eorum substantia, et auctor ipse supremus, in quo vno et solo sic posita est salus omnium, vt re alia nulla opus sit ad eam obtinendam, quam fide eiusmodi obsequiosa, qua eius nos disciplinae toto animo subiiciamus. Ad hanc ipsam vero *nouae suae religionis disciplinam*, quid maxime requiratur, paulo nunc vberius, continuata hac allegoria, Christus explicat v. 51. Non enim repetit tantum, quae paulo ante dixerat, sua se doctrina et institutione talem iis offerre victum ad sustentandam vitam, quo, qui recte vtantur, possint aeternum viuere, *εγω ειμι ο ατος ο ζων*,
panis

panis ego sum, non *optimus* tantum, vt plerique το ζων vertunt, sed *saluberrimus* etiam ad vitae conseruationem, ita, vt ζων, recte mouente ad h. l. b. HEVMANNO, idem sit ac ζωποιων, quemadmodum το ζων ex vsu hebr. טג פני de vitae conseruatione et restitutione haud raro adhibetur, Esa. XXXVIII. 1. 2 Reg VIII. 8. 9. Math. IX. 28. Sic υδωρ ζων Ioh IV. 10. mihi quidem videtur esse aqua salutaris, ad vitam valens et valetudinem. Atque sic pariter Christus est αρτος ζων, cibus, qui vitam efficit sempiternam, ita, vt qui eo vescatur; εαν τις φαγη εκ τστσ τσ αρτσ, ζητεται εις τον αιωνα, corporis mentisque vitam consequatur aeternam. Cibus autem ille non est tantum Christi, de qua haecenus dixit, doctrina, sed *singularis* aliquis, quem *nunc primum* incipit promittere, *) animi victus, quem nondum huc vsque dedit, sed futuro demum tempore dare constituit, και ο αρτος δε ον εγω δωσω, ipsa nimirum caro eius, quam pro redimenda omnibus vita breui volebat ad supplicium tradere: η σαρχμα εσιν, ην εγω δωσω υπερ της τσ κοσμου ζωης.

Nouum utique hoc erat Iudaeis, ipsisque haecenus inauditum Christi discipulis. Quare mirum non est, quod certamine inter se ambigere coeperunt et disceptare v. 52. εμαχοντο προς αλληλσς, quo sensu hoc esset intelligendum, quaque fieri posset ratione, vt suam ipse sibi carnem daret comedendam? πως δυναται αρτος ημιν δειναι την σαρχμα φαγειν; Adhuc enim, vt inde iam a primis christianae religionis temporibus, ea de re, quo sensu, siue proprio, siue tropico, haec dictio sit intelligenda, fuit disputatum, et adhuc sub iudice lis est, variaeque sunt interpretum opiniones, quibus autem recensendis nec opus est immorari, nec huic instituto conueniens. Ipsam potius veram Christi sententiam ex vsu linguae inuestigabimus, in Apostolorum scriptis obuio, qui optime sine dubio eius intelligere mentem didicerunt, eiusque tutissimi sunt interpretes. Solent autem illi carnis nomine humanam plerumque naturam significare, eiusque in primis sortem externam et miseram, imbecillitatem corporis et fragilitatem, variis obnoxiam aerumnis, tandemque morti et destructioni. His igitur humanae naturae, quibus ob peccati contagium subiecta est, malis, cum se Christus ipse, expiandae culpae eius et

*) Idque non accurate satis animaduertit Ven. TELLERVS Onomast Voc. Fleisch, vbi p. 150. vtramque dictionem: *Christum panis instar comedere*, et alteram illam: *eius carnem edere*, quam dabit pro vita mundi, eodem sensu accipit: ihr sollt von selbst verstehen, daß ich meine Lehren und Anweisungen zum Guten meine, die sind, die eigentlich diese Früchte schaffen.

X

corrigendae vitiositatis causa, subiecerit adeo, vt suum ipse sanguinem effunderet, mortemque pro nobis pateretur: ideo *carnis* eius et *sanguinis nomine*, ipsam eius *mortem expiatoriam*, totumque redemptionis opus et fructum communissime Apostoli intelligunt. Ita Paulus Eph. II. 13. gentiles, dicit, propiorem ad Dei gratiam aditum esse consequutos: *εγγυς εγενηθητε*, vi sanguinis Christi, siue redemptionis per eum factae: *εν τω αιματι τη Χριστου*. Sustulit enim ille inimicitiae causam *την εχθραν* v. 15, Iudaeos inter atque gentiles, legis nimirum typicae praecepta et ritus, *εν τη σαρκι αυτη*, carne sua, siue morte, qua communem gentium cum Deo et inter se reconciliationem procurauit. Pacem enim fecit, ait idem Apost. Col. I. 20. *ειρηνοποιησας δια τη αιματος τη σαυτη αυτη* per effusum in cruce sanguinem, siue factam eo peccatorum expiationem, qua nos Deo reconciliauit v. 22. *εν τω σωματι της σαρκος αυτη*, cum naturale corpus suum hostiae piacularis loco pro nobis traderet, siue vt explicatur: *δια τη θανατη*, per sacrificium mortis suae. Ponitur igitur caro et sanguis Christi *metonym.* pro morte eius piaculari, quae simul per *Synecdochen* obedientiam eius perfectam, qua satis per omnia fecit voluntati patris, ipsam denique redemptionem, et acquisita per eam bona gratiae omnia complectitur. Atque sic facile ex his potest intelligi, quod carnem Christi comedere, non *proprio sensu* dicatur de ipsa eius corporis substantia, qualiscunque demum illa fuerit conditionis, qua, quomodo spiritus rationalis frui debeat et possit, vix potest concipi: sed *tropice* hoc nihil aliud significat, quam mortem Christi in suos vsus conuertere, eaque acquisitae nobis Dei gratiae participem fieri, et toto frui redemptionis fructu. Hoc enim sensu edere iubemur et bibere bona quaeque salutis per Christum promissa Esa. LV. 1. 2. quae, cum in eo iam esset, vt corporis sui et sanguinis sacrificio nobis compararet Saluator, sapienter tali vititur dictione, quae eius tanto facilius posset admonere Iudaeos, quanto esset conuenientior cultus eorum ritibus, quanto frequentior inter eos *epulorum sacrificialium* vsus, vbi de victimarum carne vescerentur, et in sanguinis memoriam poculo vini biberent. Ex hoc suae religionis more numquid non facile Iudaei intelligere poterant, quod apprime illi accommodata sit haec verborum Christi sententia: *dabo carnem meam victimam piacularem pro vita totius mundi redimenda, eiusque corporis mei sacrificii adeo vos reddam participes, vt hoc veluti saluberrimo animae nutrimento fruamini, ad sempiternam futurae vitae felicitatem consequendam.*

Hoc

Hoc qua fieri possit ratione, epularum sacrificialium usus eos docere poterat. De carne enim victimarum qui comedebant, hoc ipso publice profitebantur, pro se oblatum hoc esse sacrificium, siue Dei colendi, siue gratitudinis testificandae, siue expiandae alicuius culpa, et obtinendi fauoris diuini causa. Quod, qui pio fecerint et religioso animo, secundum praecepta legis, vera in promissum Messiam posita fide, his sacrificii vis tota et dignitas typica adeo fuit a Deo imputata, ut in animarum iis salutem cederet et tranquillitatem. Constat hoc ex contrario, quem his Deus minatur, effectu, qui vel in minima parte a suae legis statuti discederent, e. c. qui tertia demum die de hac victimarum carne comederent. His enim, Moses ait Leu. VII, 18. *לֹא יֵרָצָה אֵלֶיךָ אֱמָנָה* & δεχθήσεται αὐτῷ. Deus non erit propitius ἢ ἡ ψῆχὸς αὐτῶν & λογισθήσεται αὐτῷ, nec imputabitur iis, ut aliquam ex eo utilitatem percipiant, fastidio potius erunt Deo, *μιασμα* εἰν, suaeque poenam luent iniquitatis, *τὴν ἀμαρτίαν* ληψεται. Quotquot igitur debito vescerentur ordine modoque, gratiam Dei omnemque sacrificiorum fructum salutarem fuerunt consequuti. Atque hoc ipsum Paulus confirmat 1 Cor. X. 18, ubi ipsam illam corporis et sanguinis Christi *κοινωνίαν communicationem*, qua eius in sacra coena, mediante pane et vino, participes efficimur, ex hoc ecclesiae Iudaicae ritu intelligere iubet: *βλέπετε τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σὰρκα* i. e. secundum externam cultus Leuitici formam, quae *σὰρξ* nominari solet. Annon, qui victimarum carne vescuntur, *οἱ ἐσθιοντες τὰς θυσίας*, hoc ipso fiunt participes sacrificii ipsius? *κοινωνοὶ τῶν θυσιασθηρῶν εἰσιν*, posito per Metonymiam *altari, pro sacrificio*, in eo oblato. Atque sic, qui instituto a Christo pane utitur et vino eucharistico, ipsius corporis eius et sanguinis is particeps fit sacrificii. Huius vero epuli salutaris nullam hic quidem Christus *institutionem* siue promittere, siue praenuntiare futuram, aliquam tamen eius veluti *prolusionem* instituere, et discipulorum animos ad hoc mortis suae memoriale epulum praeparare voluisse videtur. Eamque ob causam non *se* tantum, ut panem vitae comedere, quod ait v. 57, sed *suam* adeo *carnem* comedere *suamque sanguinem* bibere iubet, atque sic eum fere in modum de *spirituali* utriusque fruitione loquitur, ut *sacramentalem* illam in animo iam tum habuisse videatur. Graui enim adseueratione v. 53. confirmat: *ἀμὴν λέγω ὑμῖν*: nisi carnem Messiae comedatis eiusque bibatis sanguinem i. e. subeundam a me mortem et effundendum sanguinem nisi sic conuertatis in animorum usum, ut vi huius sacrificii parandam vobis reconciliationem cum Deo quaeratis, meaeque disciplinae toto vos animo committatis, nullam unquam obtinebitis

spem certam salutis: *ὅτι ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς*. Sic enim *ἔχειν ἐν ἑαυτῷ*, ut hebr. *יָדוּ* secum habere, de plena rei, vel cognitione, vel possessione usurpari solet, ut c. V. 26. Quicumque igitur sic utitur redemptione, per corporis mei et sanguinis sacrificium efficienda: *ὁ τρώγων μὲν τὴν σὰρκα, καὶ πίνων μὲν τὸ αἷμα* v. 54, is demum certo vitam consequetur aeternam, *ἔχει ζωὴν αἰώνιον*, ad quam extremo eum die resuscitabo. Haec enim, quam mortis meae et effundendi sanguinis pretio hominibus acquiram, redemptio, (quae v. 55. *σὰρξ καὶ αἷμα* nominatur) vere est saluberrimum animarum nutrimentum, quo reficiantur et roborentur ad bene beateque viuendum, idque dicitur: *ἀληθῶς ἐστὶ βρωσις καὶ ποσις*. Quo qui sic animum pascere didicerit vidu, ut meum in se amorem ex eo intelligat, suamque ipsius sentiat felicitatem v. 56. *ὁ τρώγων μὲν τὴν σὰρκα, καὶ πίνων μὲν τὸ αἷμα*, is aeternum adeo mihi coniunctissimus erit, ut a me nunquam possit iterum diuelli: *ἐν ἐμοὶ μένει, καὶ γὰρ ἐν αὐτῷ*.

Eius autem rei veritatem, ne cuiquam dubia videretur, ex suo ipsius exemplo Christus v. 57. intelligere iubet: quemadmodum me misit pater, vitae omnis autor supremus, *ὁ ζῶν πατήρ*, atque sic ego per hanc ipsam patris virtutem aeternum viam, etiamsi ad tempus sum moriturus: *καὶ γὰρ ζῶ διὰ τὸν πατέρα*: Ita pariter, quod saepe significat particula *καὶ*, qui felicitatis suae praesidium omne in me ponit, *ὁ τρώγων μὲν*, quod idem est, ac ante, carnem Christi comedere, eiusque bibere sanguinem, per me ille vita fruatur aeterna: *καὶ κείνος ζήσεται δι' ἐμὲ*. Sic igitur ait v. 58. iam nostis eum, qui panis instar de coelo venit, vitae vobis comparandae causa: *ὁ ἄρτος ἐστὶν ὁ ἀρτος, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς*, qui- que longe maiorem vim habet illo, quo licet vescerentur maiores vestri, a morte tamen liberari non potuerunt, *ἐφαγον, καὶ ἀπέθανον*. Illo autem qui veluti cibo recte fruuntur, *ὁ τρώγων τὸν ἄρτον*, etiamsi ex hac vita discesserint, aeterna tamen, ad quam eos reuocabo, vita gaudebunt, *ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα*. Atque sic dedit iis postulatum a se v. 30. signum illud de coelo, ex quo legationis suae atque religionis diuinam intelligere possent originem, suam nimirum ipsius mortem et resuscitationem ad vitam aeternam, quam etiam credentes in se omnes, meritorum suorum virtute, certo consequerentur. Quod, cum esset simile illi, quo olim Mosaicae, in qua tantopere se Iudaei ostentabant, religionis diuina confirmata fuit autoritas, immo longe pane illo coelesti praestantius, quem comedisse patres adeo gloriabantur, sine dubio intellexerunt quidem congregati in Synagoga auditores Christi, Capernaumi docentis v. 59. Cum autem Messiam expectarent, in quo ducem populi habe-

habe-

haberent fortem, et strenuum libertatis eius atque dignitatis vindicem, regia autoritate ipso Mose excellentiorem, non autem talem, qui suum ipse sanguinem effunderet, suamque pro recuperanda hominibus vita, carnem morti traderet, cuius ex efficacia et valore salutarem animi fructum et voluptatem illi demum perciperent, qui eo commouerentur ad obtemperandum Euangelio Iesu Christi; odiosa nimis et molesta iis videtur, fastidii plena illa et offensionis, quam ferre non possent, oratio, Dura est, dicunt v. 60. non Apostoli, qui his v. 67. opponuntur, sed multi ex reliquis doctrinae Christi alumnis, σκληρος ἐστὶν οὗτος ὁ λόγος, non *difficilis* quidem intellectu, quod res videatur impossibilis, ex sententia HEVMANNI, sed potius ex RAPHELI aliorumque interpretatione, *gravis auditu*, quae sit auribus animoque intolerabilis; τις δυναται αυτη ακρειν; Ita enim το σκληρον hebr. הַשָּׂרָה Alexandr. de verborum asperitate et morum ferocia Gen. XLII. 7. 30. Ex. VI. 9. vt de re quacunque molesta, vel improba etiam et valde iniqua adhibent Gen. XXI. 3. 12. vbi textus hebr. habet עָרִי malum est, quo sensu etiam הַשָּׂרָה extat Deut. XV. 18. quamuis c. I. 17. de causa ardua nimis et intricata, siue grauioris momenti dicatur, de qua non facile ausint iudices inferioris ordinis cognoscere; εαν το ρημα σκληρον η αφ υμων.

Offenduntur igitur hoc Christi sermone, eumque aegre ferunt et grauiter, γογγυζουσι περι ταυτη v. 61. Cuius autem rei causa, cum tales in eorum mentibus versari cogitationes animaduerneret Saluator, ειδως εν εαυτω, sic eos admonet: Numquid hoc vobis est offendiculo? ταυτο υμας σκανδαλιζει; An iuste putatis vos indignari propterea, quod moriendum mihi, eaque morte et sanguinis effusione redimendum esse humanum genus dixi v. 51., simulque his tantum spem feci vitae aeternae, qui hoc mortis meae sacrificio recte fruuntur? Quid si tandem videritis eo redire Messiam, vbi fuit ante? v. 62, εαν ουν θεωρητε τον υιον τα ανθρωπων αναβαινοντα οπα ην το προτερον; הַשָּׂרָה ab initio, sic vertunt Sept. Esa. XLVII. 10. in coelum nimirum, vnde venit? Annon tunc omnis offensio facile euanescet? Annon tum cibum esse eum, de coelo datum, intelligetis? Ita elliptica haec oratio, quam omnes sere interpretes per *apostrophe* explicandam esse fatentur, mihi quidem supplenda videtur. Est enim illa Christi in *coelos adscensio* evidentissimum, quod v. 30. ab eo postularunt, signum, et diuinae eius originis atque legationis documentum, quo tandem veritas eorum omnium, quae de se dixit Saluator, quaeque offensioni fuerunt Iudaeis, comprobata est, et scandalum omne sublatum. Ex hac igitur intelligere iubet v. 63, quo iure, quaque ratione se suam-

que carnem cibum esse dixerit adeo salutarem, vt, qui eo vescerentur, aeternae vitae fierent participes. Hanc scilicet efficaciam, docet, *non humanae suae, sed diuinæ naturae* tribuendam esse virtuti, de qua Patrum plerique, TERTULLIANVS, CYRILLVS, ATHANASIVS, AVGVSTINVS, vt nostratum haud pauci, το πνευμα hic interpretantur, το πνευμα εστι ζωοποιον, *vis diuina*, quae in me est, hanc vobis vitam largietur; *sola autem caro* mere humana, eiusque, quam vos quidem fingitis, fruitio, tale quid nequaquam efficere potest: η σαρξ εκ ωφελει εδεν. In hac ipsa autem, quam ego vobis trado, doctrina: τα ρηματα, α εγω λαλω υμιν, virtus illa inest diuina, quae vos aptos efficiet et idoneos ad consequendam vitam aeternam: πνευμα εστι, και ζωη εστι, quod idem est, ac ante πνευμα ζωοποιον. Ita mihi quidem commoda videtur orationis series, de qua variae sunt interpretum sententiae. De carne enim Christus loquitur, non alia quacunque, sed sua ipsius, de qua sermo est, eaque quidem tali, quae spiritui opponitur, et de qua, quod spiritui competit, εστι ζωοποιον, negatur, εκ ωφελει εδεν: Quod igitur *non absolute* intelligendum est, quasi prorsus nihil proffit caro Christi, sed quod vitam tantum non possit dare hominibus. Ex his autem constat, carnem et spiritum, non *sensum carnalem* significare et *spiritualem*, vt patrum quidem multi aliique recentioris aetatis interpretes existimarunt, in quem vero haec omnia non ita apte quadrant, quam in humanam et diuinam Christi naturam et virtutem, quae alias etiam *caro* et *spiritus* nominari solet. Ad hanc enim suam diuinitatem, cum humana copulatam natura, quam Iudaeorum plerique adhuc vel ignorabant, vel tamen in dubium vocabant, paulo ante iam prouocauit Christus v. 62. auferendi, quod ex sua oratione enatum esset, scandali causa, ex eoque, quod ipse esset Deus, suae etiam doctrinae vim diuinam v. 63. vindicauit et efficaciam, πνευμα εστι και ζωη. Ad confirmandam igitur eius rei veritatem euidentissimum simul edit suae omniscientiae documentum, eosque, quid quisque eorum de se sentiat, cognitum sibi esse et exploratum, admonet v. 64. Sunt aliqui ex vobis, ait, qui non credunt. Quod ne quis tum demum Christo innotuisse censeat, Euangelista, ab initio huius sermonis eum iam compertum habuisse, dicit, ante, quam suam ipsi απιστιαν prodidissent, qui non crederent in eum, vel nunquam essent, vel tamen non constanter credituri: ηδει εξ αρχης, τινες εισιν, οι μη πισευοντες, quare suum etiam iam tum eum novisse proditorem testatur, και τις εστι ο παραδωσων αυτον. Immo hanc ipsam ob causam, Christus ait v. 65, quod perspecta mihi fuit vestra incredulitas, supra iam vos v. 44. 45. admonui, vt traditae mihi a patre do-

ctrinae

strinae morem geratis, quoniam meae se fidei nemo committere potest: *αδεις δυναται ελθειν προς με*, nisi hac ipsa patris doctrina fuerit institutus et ad fidem commotus: *εαν μη η δεδομενον αυτω εκ τσ πατρος*. Ita enim *δεδομενον*, vt *δεδοτι*, de concessa vi et potestate dicitur Ioh. III. 27, Math. XIII. 11.

Hac vero oratione Christi apologetica, etiamsi nihil haberet, quod posset iure offendere, multi tamen ex disciplinae Christi alumni, quos LXX. discipulos fuisse, AUGUSTINVS suspicatur, adeo fuerunt indignatione irritati, vt ex hoc tempore v. 66, *εκ τσ τσ* scilicet *χρονσ*, quod tamen etiam *de causa* dicitur, de qua hic aequae potest intelligi, vt hanc ob causam ab eo prorsus deficerent, *απηλθον εις τα οπισω*, ita quidem, vt nec amplius eum magistrum sequerentur: *και εκετι μετ αυτσ περιεπατην*. Hoc enim de comitatu dicitur et conuersatione, vt alias *πορευεσθαι* et *ακολουθειν οπισω τινος*, hebr. *יָרַח וְלָח*, cui opponitur *וָרַח וְלָח* et *וָרַח*, quod Sept. vertunt *πορευεσθαι οπισω*: Ier. XV. 6. Luth. deficere, idque idem est ac hic *απερχεσθαι εις τα οπισω*. Interrogauit igitur suos Christus Apostolos v. 67, an forte ipsi etiam, reliquorum irritati exemplo, ab eo vellent desciscere? *μη και υμεις θελετε υπαγειν*; Ad quod Petrus reliquorum nomine, absit, respondet v. 68. Domine, quem alium adiremus et meliorem sequeremur magistrum? *προς τινα απελευσομεθα*; tu solus ea vales auctoritate, vt optimam tutissimamque nos viam docere possis consequendae vitae aeternae: *ρηματα ζωης αιωνισ εχεις*. Sic enim *το εχειν* saepius de possessione rei et potestate adhibetur. Fatientur igitur, ex hac dura Christi, vt aliis quidem videbatur, oratione, hoc se intelligere, quod veram ostenderit viam salutis, non alio modo impetrandae, nisi hoc solo, vt Christum credant esse redemptorem mundi, a patre missum de coelo, vt eius doceat voluntatem, eiusque consilia exequatur, quo hac ipsius auctoritate commoti, eiusque doctrinae veritate excitati, toto se animo eius disciplinae committant, et partis ab eo bonis fruuntur, immo post mortem etiam vitae immortalis expectent et beatae restitutionem. Hoc sine dubio Apostoli ex illo Christi sermone clare satis perceperunt. Vltimam vero eius partem, quae etiam reliquorum ab eo animos alienauit, de comedenda scilicet carne eius et bibendo sanguine, vix satis recte eos hoc tempore intellexisse, certo constat, ex adeo saepe repetitis post haec Christi, de sua passione et morte, vel breui iam imminente, sermonibus, longe clarioribus, et magis perspicuis, quam praesens ille fuit, quos tamen ne tum quidem recte perspexerunt, cum morti iam esset proximus. Interea miramur merito et imitamur eorum,

eorum, quam in causa religionis adhibere decet, modestiam, quod, quae nunquam cogitando adsequi possunt, ideo tamen non spernunt leuiter, nec temere improbant, sed clariorem sperant et expectant rerum intelligentiam, Christoque fidem habent in his etiam, quae, quomodo intelligenda sint, animo non comprehendunt, propterea, quod Deus est, et Saluator mundi, fallere nescius et falli. Hoc enim nos quidem, ipsi profitentur v. 69, credimus non tantum, sed nouimus etiam et compertum habemus: *και ημεις πεπιστευκαμεν και εγνωκαμεν*, quod tu sis verus Messias, isque ipsius Dei veri et supremi Numinis filius, *οτι συ ει ο Χριστος, ο υιος της Θεου ζωντος*. Neque haec eos fides fefellit, neque clarioris lucis expectatione fuerunt frustrati.

Hoc ipso enim festo die, cuius pie recolendae memoriae haec destinata est prolusio, vtriusque veritatem compererunt, ipsumque Christi et eius patris Spiritum acceperunt, certissimum eius diuinitatis testem, et optimum eiusdem doctrinae interpretem, quo duce atque magistro veram eius sententiam breui, per omnia, quae suspenfa haecenus et obscura iis visa fuissent, adeo clare intelligere, non sensim coeperunt, sed subito didicerunt, vt aliis etiam accurate ea explicare, eosque docere possent viam salutis. Dicit ea de re primo die Pentecost. in aede Academica hor. XII. orator disertus, Vir Pl. Rev. M. EMMANVEL FRIDERICVS SCHMID, Catecheta Petrin. doctrinae virtutisque laude inter nos Clarissimus, qui *magnitudinem beneficij, per Spiritum Sanctum Apostolis et nobis dati*, laudabit, atque auditorum animos ad agendas Deo gratias et celebrandam eius benignitatem excitabit. Cui vt aures praebere beneuolas, suaque panegyrim illam frequentia condecorare velint, COMITES ILLVSTRISSIMOS, et VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS, VOSQUE GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, qua decet humanitate rogamus, Deumque precamur, vt Sanctissimi Spiritus dona illa, quibus sapientia vera et ingenua pietate instruantur animi, nobis omnibus largiatur quam copiosissime. P. P. in Vigil. Pentecost. A. CIOIOCCCLXXIV.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.